

32
D. O. D.

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA,
DE
FAMILIA FORNIOTHERIANA,
DYNASTIS SCANDIÆ PER-
PERAM ASSERTA,

QUAM

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN REGIA
ACADEMIA ABOËNSI,

PRÆSIDE

Mag. JOHANNES BILMARK,

HIST. AC PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publice examinandam sistit

SVENO BLOMBERG,

STIP. REG. SMOLANDUS.

IN AUDIT. MAJORI die XVI MAJII MDCCXCII.

Horis ante meridiem solitis.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

À
MONSIEUR LE SÉNÉCHAL
JEAN ODENCRANTZ,
ET
à MADAME SON EPOUSE
ANDRIETTE FREDERICE
de FRÖBERG,
MONSIEUR ET MADAME,

En réfléchissant sur le nombre infini des bienfaits, dont il Vous a plu, MONSIEUR & MADAME, de combler mes parens & sur moi particulièrement, & ne sachant quelque autre moyen de m'acquiter de mon obligation, qui est fort au-dessus de ma portée; plutôt que de passer pour ingrat, j'ai saisi cette occasion de Vous offrir cette petite dissertation, comme un gage de la plus profonde vénération, due à Vos mérites. Votre générosité seule peut m'assurer de la continuation de Vos bonnes grâces, d'où dépend mon bonheur. C'est par ce motif, que je ne cesserai jamais d'adresser au Ciel des vœux très ardens pour Votre prospérité, étant avec les sentimens les plus respectueux

MONSIEUR ET MADAME

*Votre très humble
& très obéissant Serviteur*
SVENON BLOMBERG.



PRÆFATIO.

Quamvis plurimum sinceræ voluptatis studio inſit antiquitatis, cujus ope ad tempora a noſtro ævo remotiſſima licet regredi, ac commercium quoddam cum ultimis inſtituere Majoribus, eorumque res geſtas & inſtituta, ſubſequentium eventuum ſape cauſas, conſiderare; in conſeſſo tamen eſt, quod hos fructus ſine pertinaci labore & multa circumſpectione colligere non deſt. Qui enim antiqua ad nos tranſmiſerunt monumenta, eorum alii res, quarum accuratam non habuerunt cognitionem, tradiderunt; alii, ut lectorum fallerent tædium, multum ſuo permiferunt ingenio, viſa pro compertis, ſuis non raro inferentes ſcriptis; alii rurfus antiquitatis characterem adeo venerandum habuerunt, ut veritatem ex narrationum canicie æſtimarent, oblitii, ut videtur, veteres ſcriptores fuiſſe homines, ac ſuos quoque paſſos manes. Sape etiam ex ingenioſa nominum etymologia occaſionem ſibi ſumſerunt Antiquarii, facta & eventus fingendi; quorum opiniones quum aliis aliisque, eximia inter ſuos auctoritate conſpicuis, ſe probaſſent, enata ſenſim fuit teſtium cohors, manipulos dubitantium facile confundens. In Philoſophiæ campo ad rationis & experienciæ lampada veritatem, ſi animum, præjudiciis vacuum, advertimus, plerumque detegimus; at probabilitatis fax, quam antiquitatis ſtudioſus ſequitur, eſt nimis crepera, facilisque proinde, in rebus præſertim antiquiſſimis, in devia lapſus. Hæc evitaturus in ſubſidium adhi-

bebit Criticem, quæ licet de vera factorum & eventuum indole nos non instruat, docet tamen, quid ad tenorem regularum probabilitatis admitti vel non admitti possit, ita impediens, ne aniles fabulæ, a suis everſæ ſedibus, priſtinum in civitate litteraria recuperent imperium. Hanc nos etiam ſequemur helicem, in hac oſtenſuri diſſertatione, Familiam FORNIOTHERIANAM Dynaſtis Scandiæ perperam fuiſſe aſſertam; a benevoli Lectoris humanitate, ſi minus aſſenſum, facilem tamen veniam, ſi in re obſcura hallucinati fuerimus, enixe nobis expectentes.

§. I.

FORNIOTHERI, Familiæ a ſe nominatæ Satoris, ejusque poſteriorum mentionem paſſim in ſuis ſcriptis faciunt Hiſtorici, ſed qui hanc notiſſimam ex Hiſtoria, *Origines Norrigiæ (Fundin Noregur)* dicta (a) hauſiſſe videntur. ierhibet autem ejus Auctor: Regem, FORNIOTHERUM dictum, præſuiſſe Jotlandiæ, quæ etiam Finlandia fuit appellata, & Quenlandiæ (b), ſitæ ad Orientalem plagam a Mari (*Hafſbotn*) (Sinum Bothnicum interpretantur Scriptores (c), quod occurrit Gandvico, & a nobis *Helsingabotnum* (d) (Mare Helsingicum) nominatur: huic Principi tres fuiſſe filios, *ÆGI*, *LOGI* & *KARI* appellatos: *KARI* genuiſſe filium *FROSTA*, patrem *SNÆS annofi*, cujus filius erat *THORI*: ab hoc tres procreatos fuiſſe liberos, filios nempe *NORR* & *GORR*, nec non filiam *GOAM*; quam inter anniverſarias feſtivities clanculum abductam ſollicite quaſiviſſe fratres, & pleraſque, quas perluftrarent terras, ſuo ſubjeciſſe imperio: reperta demum Sorore, Norrum fundiſſe regnum Norrigiæ, a ſe cognominatæ, ejus nepotes ac poſteros longa ibidem ferie regnaſſe, ſuumque inter ſe & diviſiſſe & ſubdiviſiſſe patrimonium: Gorrum autem piraticam exercuiſſe, &

& præter alios liberos suscepisse filios HÆITTER ac BÆITER appellatos: *Hæiterum* genuisse *SIVEIDE*, hujus filium fuisse *HARALDUM annosum*, & ab hoc prognatum *IVARUM*, Uplandiarum Jarlum, patrem *EYSTENI Glumræ*, & hunc genuisse *ROGNIVALDUM* Jarlum, potentis ac sapientis titulo insignitum, Norvegiæ Regi HARALDO *Pulebricomio* æqualem. Et in hoc filum disquisitionis suæ Genealogicæ abrumpit historiolæ Auctor.

- (a) Historiam hanc veteri lingua Gothica exaratam, sed in linguas præterea Svecicam ac Latinam versam, ex MSto Codice Antiquitatis Archivi, qui *Flateyensis* dicitur, a se editam, libro, *Nordiske Kämpa Dater* appellato, statim ab hujus initio Cl. *Er. Julius* BJOERNER inferuit.
- (b) His nominibus alii tres provincias, alii unam indigitari volunt, textus vero docet, ex Auctoris mente fuisse duas.
- (c) Hanc recte se habere interpretationem vel exinde patet, quod GORRUS austrum versus navigans, primo ad mare Alandicum & deinde ad insulas Gothicas pervenisse dicatur.
- (d) Quum pervulgatum sit, Helsingiam ad Paludem usque Uhleâensem se olim extendisse; nemo miretur, nomen *Maris Helsingici* Sinui etjam Bothniçico adhæsisse.

§. II.

Quum citatæ Historiolæ Auctor suum suppresserit nomen, nec narrationem suam ad umbilicum, ut videtur, perduxerit; nos plane fœgit, cum quis ille fuerit, tum quo vixerit tempore. Probabile Cl. BJOERNERO visum, eam fuisse consignatam ab ARIO, Frode cognomina-

nato, celebri Scriptore Islandico, & in Genealogiis veterum illustrium Familiarum præcipue versato (a), quem sesquiseculo fere post Norvegiæ Regem HARALDUM, *Pulbricomum* dictum, floruisse constat; cujus Genealogiam per alios aliosque gradus, incipiendo ab antiquissimis Norvegiæ Principibus, sibi sumsit contexamdam. Acri satis censura scriptum hoc Historicum perstinxerat Th. TORFÆUS, sed qui sententiam graviorem postmodum correxit (b). Quamvis autem scriptum hoc ut valde jejunum multis obvenerit, præter raptum puellæ Regiæ ac difficultates, quas in ipsa perquirenda experti sunt fratres, nullum memorabile continens factum, ac fide præterea ejus haud parum decedat, cum quod faciem Scandinaviæ non multo post populorum in hanc immigrationem, talem fermè, qualis sua fuit ætate, depingat, populosam videlicet & in provincias eorundem, quibus nunc gaudent, nominum divisam, tum quod stylus, utpote planior, prolixam non prodat canitiem; attamen quum Schedæ hujus Auctor in suis narrationibus vix quidquam suo permiserit ingenio, sed candore, qui Historicum decet, simpliciter ea protulerit, quæ ab aliis acceperat, & præterea genealogiæ ab eo confectæ etiam quoad antiquissima, ad quæ pertingere annis fuit tempora, probatis aliorum scriptis non contradicant, suum ei haud denegandum est pretium (c).

(a) Vid. *Præfationem libri, Nordiska Kämpa dater inscripti p. 13.*

(b) Vid. *Histor. Norvegiæ Tom. I. p. 51.*

(c) Hinc Nob. *LAGERBRING Histor. Svec. Tom. I p. 8.* de Auctore schedæ affirmat: "Man har svårt för at
"upvisa en gammal historia, som är mindre up-
"blandad med skräck-sagor, än denna: Den inne-
"håller nästan intet annat, än en blott Genealogisk
fö-

“förtäkning på de gamla Nordiska släkterna”: adde
*BROCMANNI Præfat. ad Sagan om Yngvar Wid-
 farne p. XV.*

§. III.

Nomina personarum, ad Familiam Forniotherianam pertinentium, dum expendit Nob. IHRE, pro eo, quo eminebat, ingenii acumine perspexit, Historiolam citatam, habita primorum graduum Genealogicorum ratione, ad veterum Islandorum Mythologiam esse referendam (a); a qua opinione haud longe abfuisse Nob. DALINUM constat (b). Illius nos sequemur ductum, nonnullas tamen adjecturi observationes. Cuius statim patere arbitramur, nomen Satoris hujus Familiæ per prosthesin esse auctum, proprium fuisse OTHER, & distinctionis ergo ab aliis ejusdem nominis, præmissum *Forni, antiquum vel primum*. Quid vero OTHER designat? Plerique antiquiorum efferunt Forniother per Forni-Othin seu *Othinum primum*; quibus nos suum relinquentes placitum, præsumimus, transpositionem vocalium nominis heic factam, & pro Other, nomine cateroquin apud Nervagos non infrequente, legendum esse Thore; quem, cum Thore Asiatico non confundendum, ut Deorum supremum ante Othini ad has oras adventum veteres Scandiæ populos coluisse novimus. Conjugis suæ nullam citatæ Historiæ Auctor facit mentionem, sed quæ in aliorum scriptis nominatur *Laufeja* (c); quæ vox per *Aëris* seu *Mundi oculum*, id est per Solem, a Majoribus nostris feminini generis habitum rectius, quam per navigium, interpretatur. Produxit autem Forniother tres filios *Hlar* seu *Ægi*, *Logi* & *Kari*, qui in veteri historia citantur domini *Maris* seu *aquæ*, *ignis* & *ventorum* (d); adeoque Forniother fuit Auctor elementorum *Aquæ*, *ignis* & *aëris*; ex quibus vocibus in nostra lingua adhuc sunt

funt familiares: *Láge*, flamma, & *Kára*, ventus lenis. **KARE** seu ventus procreavit *Frosta* seu *gelu*, *Fokul* etiam appellatum. **FROSTA** autem genuit *Snær* seu *Snó*, nivem, quæ cum in arctois montibus non liqueceret, *Snæro* cognomen *annosi* fuit tributum. Huic quatuor fuerunt liberi, unus filius **THOR**, (quod nomen per *Torrwinter* acute interpretatur Nob. **IHRE** (*e*), ac tres filia **FÖNN**, **DRIFWA** & **MJÖLL**, quæ diversam nivis conditionem designare videntur; & quidem ex sententia **ARNGRIMI JONÆ** (*f*) *Mjöll* nivem in aëre leviter volitantem, *Drifva* nivosum imbrem, & *Fönn* nivem, tempestate densius coactam. De hoc Thore in altero nominatæ Historiæ exemplari, priori appposito, perhibetur, quod *Jotlandiæ*, *Finlandiæ* & *Kuenlandiæ* Rex fuerit; *Forniothero* autem nullum honoris axioma ibidem tribuitur (*g*). Ab hujus **THORERI**, quicumque ille fuerit, filiis **NORR** & **GORR**, de quorum expeditione nonnihil supra diximus, incipere putatur tempus historicum (*b*). Hujus **GORRI**, qui præter paternum regnum eas tenuit insulas, ac regiones, quas, amissam perquirens sororem occupaverat, filius erat **BEITER**, qui genuit **GYLFE**, pro Rege illo habitum, qui *Scandiæ* tenuit scepra, dum *Othinus* ad has accessit oras.

(a) *Vid. Cancellie R. IHRES Brev. til Canc. R. LAGERBRING, vörande then Isländska Edda p. 26. &c.*

(b) *Vid. Nob. DALINI Hist. Svec. Tom. I. p. m. 75. Not. b.*

(c) *Laufesjam* fuisse conjugem *Forniotheri* ex auctoritate Nob. **PFRINGSKÖLDI** refert **DALINUS** *lib. cit.* p. 73. locum autem illum *Peringsköldi* esse mendosum adfirmat *Cel. Andr. WILDE* in suis ad *Historiam Sveciæ pragmaticam, a Patre J. WILDE conscriptam, annotationibus p. m. 210.*

(d)

(d) *Vid* BJOERNERS *Kämpa-dater* p. 6.

(e) *Vid. Epistolæ modo citatæ* p. 21.

(f) *Vid. ejus Crymogæa* p. 32.

(g) *Vid. Libr. & loc. Not. d. cit.*

(b) *Vid. cit. Nob. IHRE Epist. p. 27.*

§. IV.

Quum Chronologia pro lumine Historiæ merito habeatur, dispiciamus, an ex ea quidquam roboris nostræ accedat sententiæ. Quocirca fatendum est, recentiorum esse hanc disciplinam, Majoresque nostros sub densis Gentilismi tenebris nullam in suis traditionibus habuisse annorum rationem, hunc proinde defectum subsidiaria hypothese esse supplendum. Probatissimis autem Historicis perplacuit sententia Illustris NEWTONI, cuilibet seculo tres circiter generationes tribuentis (a); cujus ductum nos etiam in præsentem sequemur argumentum. Ex seriis Genealogicis, quæ in Originibus Norrigiæ occurrunt, numerus generationum Principum, inter NORR, Thoreri filium, & HARALDUM *pulchricomum*, Norwegiæ Regem, qui circa An. C. 870 cæteros Norwegiæ Regulos opprimere fategit, intercedentium, diversus colligitur: uno quippe loco comparent tantum septem (b), alio XII (c), alio autem XVIII (d) generationes, & hic numerus, ut cæteris plenior, ita accuratior est habendus. In Genealogia Familiæ Forniotherianæ circa NORR observat ARNGRIMUS JONÆ, inter hunc Principem & Haraldum Pulchricomum intercesse XII generationes (e); qua opinione adsumta, ætas NORRÆ ex tenore hypotheseos Newtonianæ in seculum V, si autem XVIII generationes ponantur, in seculum III incidere; in utroque autem casu Familia Forniotheriana evadit Ynglingica posterior, adeoque illa huic perperam, ut fieri solet, præmittitur (f). Ex Sched-

dis vero ARII FRODE, cujus in antiqua Historia præcipua est auctoritas, colligitur, inter OTHINUM, seu huic æqualem Scandiæ Principem GYLFONEM, & HARALDUM pulchricomum intercessisse XXX (g), adeoque si fidem Historiolæ de Originibus Norrigiæ habeamus, inter Forniotherum & Haraldum XXXVII generationes, proindeque ætatem Forniotheri, quisquis ille fuerit, æram Christianam 360 annis circiter antevertere (b); nihil igitur impedire, quin Forniotherus esse potuerit Rex Scandiæ; hinc tamen non sequitur, eum talem fuisse Dynastam, quod mox ulterius probare conabimur.

(a) Vid. *Ejus Chronologiam veterum Regnorum emendatam* p. 43, *opusculis ejus insertam*.

(b, c, d) Vid. *cit. Origines Norrigiæ a BÏOERNERO edit.* p. 5, 9, 11, 12. (e) Vid. *Crymogæa* p. 32.

(f) Præsumi potest, occasionem conficiendæ Genealogiæ Forniotherianæ Scriptori Islandico præbuisse Historiam Sveciæ Regis VANLANDRI, qui in matrimonium duxerat Finlandiæ Regis SNÆRI *Anno* filiam DRIFWAM; cætera autem antiquiora esse Auctoris ingenio tribuenda.

(g) Vid. *Cl. GOTHENII Dissert. de Fundamentis Chronologiæ Svio-Goth.* Part. 1. p. 24.

(b) Vid. *LAGERBRING Hist. Svec. Tom. 1. p. 19.*
§. V.

An FORNIOETHER titulum primi Scandinaviæ Dynastæ, ei communiter tributum, ex merito tueri possit, quodam modo constaret, si quoddam superesset vestigium vel occasionis, qua commotus, vel necessitatis, qua compulsus, Scythicam coloniam ad boreales hæc oras deduxerit. Sed nullum invenimus, quo pedem tuto figere datur. Ex antiquis Græcis ac Romanis Historicis discimus quidem

dem, Persas & Scythas in dubiam præliorum arenam sæpe descendisse, fortunæque varietatem utrinque expertos; nullum autem est indicium, Persas, subinde victores, in Scytharum solitudines longe penetrasse, ubi gentem reperissent vagabundam, opibus ac cultis arvis, occupationum invitamentis, destitutam; probabile igitur est, per longum temporis intervallum haud magnam factam fuisse rerum Scythicarum mutationem. At postquam Scythæ in finibus Europæ confedissent, bellicosarum Nationum sæpe experti sunt impetum, imprimis cum MITHRIDATEM, Ponti Regem, contra Romanos juvissent, ab his adeo sunt excitati, ut spem securitatis nisi in remotissimis terris borealibus sibi polliceri possent nullam. His inductus casibus Nob. DALIN, Forniotherum annis circiter L ante N. C. Scandinaviam intrasse, & sibi suisque itineris sociis sedes heic constituisse autumat (a); quam antea sententiam foverat Th. TORFÆUS, Forniotherum Othino æqualem habens (b); quibus admittis, sequitur, Familiam Forniotherianam Dynastis Scandiæ non esse annumerandam, nedum præmittendam.

(a) Vid. *Histor. Svec. Tom. 1. p. m. 72.*

(b) Vid. *Histor. Normeg. Tom. 1. p. 152 seq.*

§. VI.

Vidimus hæcenus, quod hypothese de Familia Forniotheriana, in Scandinavia regnatrice, neque ex computatione Genealogica, neque ex veterum Scytharum migrationibus quidquam roboris accedat. Expendamus porro rationes Geographicas, aliquod lumen præsentis disquisitioni forte fœneraturas. In Historiola de Originibus Norrigiæ hæc ab initio occurrunt verba, in Latinum sermonem presse translata: *Forniother dictus est Rex; hic præfuit Fotlandiæ, quæ etiam appellatur Finlandia, & Kuenlandiæ, hæc sita est ad orientem a mari (Hafsbotn), quod occur-*



rit *Gandrico*, quod nos *Mare Helsingicum* appellamus. Hinc Antiquarii concluderunt, tres magnas regiones *Jotlandiam*, quum per *Gothlandiam* seu Scandinaviam, *Finlandiam* ac *Quenlandiam* seu *Cajaniam*, imperio Forniotheri paruisse (a). Immo per *Jotlandiam* esse intelligendam *Gothlandiam*, exinde colligit Cl. BJOERNER, quod in altero *Historiolæ de Originibus Norrigiæ* exemplari, cujus tamen textum Originalem non adducit, THORE salutetur Rex *Gothlandiæ*, *Finlandiæ* ac *Quenlandiæ* (b). Haud diffitemur, magnam esse nominum *Jotlandiæ* ac *Gothlandiæ* similitudinem, adeoque, nisi aliæ disfluaderent rationes, admitti posse, priorem appellationem per posteriorem esse explicandam. Enimvero quum in priori citatæ *Historiolæ* exemplari, quod plenius est, adeoque majorem meretur fidem, fiat mentio *Jotlandiæ*, & hæc nec non cæteræ regiones potestati Regis Forniotheri subiectæ memorantur *Sinui Bothnico* seu *mari Helsingico* contiguæ; evidens est, hæc criteria neque in *Gothiam* neque in *Gothlandiam* quadrare, ac proinde præsumtum Forniotheri imperium ultra *Sinum Bothnicum* boream versus esse quærendum. Præterea dum Auctor *Historiolæ* significantius vellet indicare situm *Jotlandiæ*, addit, eam quoque fuisse appellatam *Finlandiam*, quod nomen quum *Gothiæ* vel *Scandiæ* in antiquis *Historiis* nusquam tribuatur, Forniotheri regnum intra *Scandiam* frustra quæritur. Ipsa etiam peregrinatio filiorum THORERI, amissam sororem quærentium, nostram confirmat sententiam; uterque enim ex boreali patria austrum versus descendit, NORR occidentalia *Norrigiæ* littora, GORR autem primum regiones *Sinui Bothnico* & deinde *mari Baltico* adjacentes suis perlustravit navigiis: illi autem, iter ingressuro, remoras injecerunt *Lappones*, *Finmarkiæ* contermini (c); hic vero navigationem continuans, mare subiisse *Alandicum* & ad *Gothicas* pervenisse insulas narratur, ex quibus indiciis haud præ-

ter rem colligitur, per Jotlandiam seu Finlandiam in allato loco indigitari Finmarkiam (*d*). Si porro quærat: quæ ratio sit nominis Jotlandiæ? dicam, quæ animo meo sedeat sententia, scilicet illud denotare Otheri vel Joteri (littera enim J vocalibus in dialectis linguæ Gothicæ otiose in erdum præfigitur) *Land* terram; unde emergit *Jotersland* seu *Jotland*; qua simplici contentus explicatione, proluxa de *Jotun*, *Jette* Gigante, & *terra gigantum* superfedere potest disquisitione (*e*). Nec quisquam sibi vel aliis perluadeat, per Finlandiam in citata Historiola nostram indigitari Fenniam; præterquam enim quod illius situs non conveniat Finlandiæ nostræ, proprie dictæ, ab aliis fuit satis evictum, hodiernam Finlandiam suos serius nactam fuisse incolas, & veteres Fennos propriis caruisse regibus (*f*). Plenius forte nostra confirmaretur sententia, si de situ *Quenlandiæ*, alterius provinciæ, imperio Forniotheri subjectæ, inter se convenirent Historici, sed qui in partes plane oppositas abeunt. Ad tenorem citatæ Historiolæ regio ista ad orientem respectu sinus Bothnici sita erat, quare communis pridem fuit antiquariorum opinio, *Cajaniam* & terrarum tractum ad sinum usque Gandvicum seu mare Album, Gandvici appellatione olim insignitum (*g*), se extendentem, *Quenlandiæ* nomine fuisse comprehensum. Contra ea alii Schediasma, quod Periplus *Otheri* inscribitur, inter certiora antiquitatis monumenta habentes, & ex eo edocti, *Quenlandiam ex adverso Normegiæ ad septentrionem sitam fuisse, Quenosque & Normannos seu Norvegos alternis se exagitasse prædationibus* (*h*), concluderunt, illos ab his per juga tantum montium fuisse discretos, adeoque veterum *Quenlandiam* esse hodiernam *Norlandiam* (*i*); attamen Nob. LAGERBRING allato Otheri testimonio utitur ad priorem confirmandam opinionem (*k*). Hanc controversiam aliis dirimendam relinquimus; nobis enim sufficit, quod in Otheri Periplus, etiam *Svecia* distingua-

tur a Quenlandia, unde consequitur, Forniotherum & ejus posteros, si qui reapse fuerint, extra Scandiam habuisse suum imperium.

- (a) Vid. Cl. BJOERNERI *Annotationes ad dictam Historiolam, imprimis vero ejus Introductionem in antiquitates Hyperboreo-Gothicas* p. 4. seq.
- (b) Vid. BJOERNERI *libr. & loc. modo citat.*
- (c) Vid. *Origines Norrugiæ* p. 3.
- (d) Vid. SPERLINGI *Boreas* p. 194.
- (e) Vid. Nob. LAGERBRINGI *Hist. Svec. Tom. I. p. 41.* Quidquid autem de *Gigantum Natione* in antiquis passim memoratur Historiis, ad aniles referendum esse fabulas, nobis videtur, persuasis, naturæ reapse senescentis nulla dari vestigia.
- (f) Vid. Cl. L. PALANDRI *Dissert. de Situ veteris Finlandiæ, nec non Cl. E. SLOTTMANNI Dissert. continentem strictiones Criticas in Chronicon Finlandiæ incerti Auctoris de Regibus Finlandiæ.*
- (g) De Gandvico consuli merentur Lagerbring *Hist. Sv. Tom. p. 318 & G. SCHÖNINGGS Försög till de Nordiske Landets Gamle Geographie* p. 26, 30 seq.
- (h) Vid. Otheri *Periplum inter LANGEBECKII Scriptores Rerum Danicarum Medii ævi Tom. II. p. 106. seq.*
- (i) Vid. A. O. ENEROTH *Dissert. de Quenlandia antiqua, Præside IHRE & Cl. H. VEGELII Dissert. de antiqua Gente Quenorum, Præside Cel. Prof. PORTHAN editas.*
- (k) Vid. Nob. LAGERBRINGI *libr. & loc. citat.*

§. VII.

Præcipuum denique sententiæ, a nobis in §. §. antecedentibus vindicatæ, accedit robur, quod antiquissimi Scriptores, quotquot in monumentis Scandicis sollicite per-

perquirendis fuerunt occupati, Familiæ Forniotherianæ inter Scandiæ Dynastas nullam faciant mentionem. ARIUS FRODE, qui, ob suam in Historia integritatem, fidem omnino meretur, nominatam Familiam in suis prætermisit Schedis. Lang-fedgatal, quæ in serie Genealogica (Åttarbo-ga), occurrit, ab Othino incipit. STURLONIDES, inter antiquos Scandiæ Historicos primo ponendus loco, ultra Dynastiam Othinianam, idoneis videlicet monumentis destitutus, non ascendit. Immo quamvis Auctor Historiolæ de originibus Norrigiæ, seriem Principum ex Familia Ynglingica nobis exhibeat, nullam tamen hujus ad Familiam Forniotherianam commemorat relationem.

§. VIII.

Enimvero in suum quis forte induceret animum, argumenta pro nostra opinione vindicanda hæcenus allata, eludi posse, si acutissimi LEIBNITII, Fennos pro primis Scandiæ incolis habentis, adsumamus hypothesein (a), indeque concludamus, Scandiam, dum Familiæ Forniotherianæ paruit imperio, dictam fuisse Finlandiam: quam sententiam argumentis præcipue etymologicis confirmare annisus est Nob. LAGERBRING (b), hanc interferens rationem, in Scandia occurere locorum nomina, quæ Fennicam sapiant originem, quorum bina tantum speciminis loco adferemus. *Wermelandia* nomen deducendum putat a Fennico *Wuori*, monte, & Gothico *Land*, terra. Præterquam autem quod voces hybridæ merito censentur suspectæ, regio ista dicenda esset *Wuorimaa*, si Fennici ejusdem admittantur natales. Probabilius est, regionem istam, ante Principis OLAVI Trætelsja adventum, inhospitam atque incultam, a silvis tunc exustis suam nactam fuisse appellationem, præsertim quum STURLONIDES ipse in hanc propendeat sententiam (c). Ingeniosa quoque est nominis *Forniotheri* derivatio a Fennicis vocibus *Wuori*, monte, & *Noita* mago, adeoque illud significaret *sapientem monticolam*; sed hoc

ad

